

2. *Ad intra*: Actio quaecunque constituit relationem eamque realem, si subiectum est reale, terminus realis, et fundamentum a termino realiter distinctum; et haec relatio est transcendentalis, si fundamentum principio agenti necessario inest. *Atqui* est in Deo: a) duplex actio: intelligere et velle¹⁾, licet non realiter distincta, aequivalet tamen duobus actibus; b) subiectum est reale; est enim ipsa divina essentia *absolute considerata*; c) terminus est realis; est enim eadem divina essentia, sed *ut notionaliter intellectu et volita seu amata*; d) fundamentum est reale et realiter a termino distinctum; est enim eadem iterum divina natura, sed *ut intelligens et amans*, unde opponitur naturae divinae *ut intellectae et amatae*, sicut actio et passio ex natura sua sibi opponuntur et inter se differunt, quamvis realitas actionis sit eadem ac passionis²⁾; potest igitur comparari cognitioni nostrum ipsorum, in qua idem est subiectum et obiectum, sed sub diversa ratione. Est tamen differentia essentialis in eo, quod hic actus cognoscendi nos ipsos neque est realiter idem cum natura et intellectu nostro, neque cum ipso obiecto cognito, actus autem cognoscendi et amandi in Deo idem est cum eius substantia; e) est relatio transcendentalis, quia intelligere et velle non sunt accidentia in Deo, sed eius essentia et substantia, estque unus sine successione actus purissimus, aeternus et infinitus. *Ergo* sunt etiam relationes transcendentales et quidem substantiales in Deo, quibus tres Personae divinae constituuntur.³⁾

Actione enim intelligendi duas in divina natura habentur relationes: essentia divina *ut intelligens et ut intellecta*; prior vocatur paternitas et constituit primam personam divinitatis, et vocatur Pater, quia habet naturam divinam non communicatam, eamque filio communicat; altera vocatur *filiatio* et constituit personam secundam divinitatis; vocatur Filius seu Verbum, quia est terminus intellectionis notionalis; cognitio autem fit per assimilacionem cognoscentis cum obiecto cognito, sicut gignere est procreare in similitudinem naturae. Ideo conceptus etiam vocatur foetus et verbum mentis. *Actione autem amandi* iterum duas habentur relationes: natura divina *ut amans et ut amata*; prior vocatur spiratio activa, quae habetur in mutua dilectione Patris et Filii, qui iam per actum intelligendi personae sunt constitutae; altera est spiratio passiva, et est Spiritus Sanctus, quia amor tendit in obiectum amatum. Quamvis igitur in Deo quattuor sint relationes, non tamen sunt nisi tres Personae divinae, neque possunt esse sive plures sive pauciores. Personae igitur in Deo constituuntur per relationes cognoscendi et volendi Deo immanentes, et subsistunt in eadem divina natura, ita ut perfectiones et opera in Deo tribus personis sint communia. Inde in Deo habetur maxima unitas naturae et substantiae et simul Trinitas personarum, ex quo mysterio et mirabilis Personarum divinarum circum sessio habetur

¹⁾ Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 28, a. 4. ²⁾ Cfr. I. c. a. 1 ad 1; c. gent. I. IV, c. 11 et 19. ³⁾ Vide plura, Einig, De Deo uno et trino 1905², p. 182 sq.

et vita infinite beata in mutua illa communicatione, possessione, dilectione. (Matth. 28, 19 sq.; Joh. 1, 18; 5, 19, sq.; 10, 30; c. 14 et 15 etc.) Personae autem finitae constituuntur realitate aliqua absoluta, sive est substantia ipsa, sive modus substantialis ei superadditus, et quaevis persona humana habet naturam sibi propriam suamque activitatem alteri non communicatam. Est tamen in natura humana rationali aliqua imago Trinitatis, in quantum intellectus et voluntas ut potentiae reales ex natura animae necessario prodeunt et in ea tanquam in subiecto communi insunt, utique tanquam accidentia inter se et a natura animae realiter distincta.

Etsi intelligamus, has relationes in Deo esse posse, immo probabiliter esse debere, non tamen certo scimus, neque scire possumus, re vera adesse et reales esse, nisi ex revelatione divina.¹⁾

B. In rebus creatis.

a) *In genere*: Omnes res creatae habent relationem realem transcendentalem ad Deum creatorem tanquam ad causam exemplarem, efficientem et finalem, quia et subiectum et terminus relationis realiter sunt distincta et existunt, fundamentum autem est ipsa natura finita, in quantum est creata; *a parte Dei* autem illa relatio ad res, in quantum existunt, non est nisi *logica*, quia sine ulla Dei mutatione vel dependentia res in tempore effectae sunt; deficit igitur fundamentum reale in Deo.

b) Est inter res omnes relatio similitudinis vel dissimilitudinis, quae fundatur *natura* earum rerum, quae in eadem vel diversa specie constituuntur, e. g. inter individua humana.

c) *In specie* est relatio transcendentalis realis inter corpus et animam; inter materiam primam et formam substantialem; inter naturam corporum eorumque proprietates *essentialis*, ut est affinitas chimica, pondus, calor specificus, status aggregationis; inter accidentis et substantiam; inter potentias (intellectus, voluntas, sensus) et obiectum, licet haec relatio non semper sit mutua, sed nonnunquam mixta; sic inter substantiam et accidentis, inter obiectum et potentias saepe intercedit relatio logica.

II. Sunt relationes reales praedicamentales.

Relatio realis praedicamentalis tunc adest, si subiectum et terminus realiter existunt, si fundamentum est reale et subiecto superadditum et a termino realiter est distinctum. *Atqui* eiusmodi relationes plurimae in rerum natura inveniuntur. Hoc patet:

1. *Ex experientia*: Relationes enim praedicamentales constituantur accidentibus quantitatis, qualitatis, actionis et passionis. *Atqui*

¹⁾ S. Theol. I, qu. 32, art. 1; in I. Sent. dist. 26—30.

constat: a) res quantas vel aequales vel non aequales esse; e. g. Petrus maior est vel minor vel aequalis Paulo; b) res qualitatibus affectas vel similes vel dissimiles esse, e. g. habitibus, sanitate, scientia, viribus, colore, calore, figura etc.; c) actiones esse multiplices rerum tum materialium, tum immaterialium (motus localis, cogitare, velle, videre, ambulare etc.), quibus actionibus respondent totidem passiones.

2. *Ex ordine rerum:* a) Existit *ordo physicus* in rerum naturam mirabilis et constans, existunt leges naturae constantes. *Atqui* ordo est dispositio plurium secundum aliquam rationem, i. e. secundum finem, ac proinde plura refert ad idem, quod fieri nequit sine actione causae physicae, exemplaris et finalis.

b) Existit *ordo moralis* inter homines (familia, civitas etc.). *Atqui* ordo moralis supponit relationes reales, i. e. fundamentum reale, e. g. matrimonium, generationem in familia; legislationem et gubernationem in civitate, acquisitionem iuris proprietatis; quae omnia actiones supponunt.

c) Existit et omni tempore apud omnes gentes exstitit *ordo religiosus*. *Atqui* hic ordo non potuit fundari neque potest conservari, nisi per actiones quasdam physicas, per exercitium religionis (orationes, sacrificia, caeremonias etc.) *Ergo* existunt certe relationes reales praedicamentales.

Obi. 1. Relationes reales non existunt; nam extra mentem nulla potest esse comparatio; dist.: formalis — conc.; obiectiva, quam mens solum detegit et manifestat — nego.

2. *Atqui* neque obiectiva esse potest; nam quidquid est, aut est substantia aut accidens inhaerens in substantia; relatio autem non est neque substantia neque accidens inhaerens; dist.: eius formalis ratio — conc.; eius fundamentum — nego. — Deinde nego suppositum, nullum esse accidens nisi inhaerens.

3. *Atqui* si relatio neque est substantia neque accidens inhaerens, non posset fieri; dist.: per se — conc.; per accidens et consequenter, i. e. positio fundamento vel termino — nego.

III. De ceteris categoriis.

Breviter dicamus de ceteris, quae ex novem accidentis generibus restant: *actio-passio, ubi, situs, quando, habitus.*

A. Actio.

1. *Notio:* *Actio* potest considerari *principiatiue, terminatiue et formaliter*. *Principiatiue* reducitur ad causam suam proximam, i. e. ad potentias cum earum habitibus et dispositionibus ac proinde non constituit propriam categoriam. *Terminatiue* *actio* est idem, quod

passio, neque sic constituit propriam categoriam. *Formaliter* vero est transitus ille a causa ad effectum sive „*dependentia effectus a causa efficiente*“ (Suarez), seu „*ultimus actus agentis ut agens est*“ (Aristoteles), et sic constituit novam categoriam. *Actio* igitur ut productio novae formae et passio ut receptio eiusdem formae sunt realiter idem, sed ratione differunt; *actio* est in agente ut in termino a quo, in paciente ut in termino ad quem; tota eius realitas est in termino ut effectus; si autem *actio principiatiue et passio subiective*, i. e. si ut qualitates considerantur, *actio* et *passio* in actionibus saltem transeuntibus realiter differunt.

(2. *Natura:* Quaeritur, in quo consistat *formalis ratio* *actionis*. Plerique cum Thomistis, ut Sylv. Maurus, Suarez, Pesch, Egger, Gutberlet censem, esse modum realem sive causae sive effectui superadditum; alii cum Nominalistis statuunt, esse solum ratione distinctam tum a causa, tum ab effectu et consistere in connotatione sive relatione causae ad effectum et vice versa; utraque sententia probabilibus rationibus nititur, sed prior videtur praferenda; nam *actio* non consistere videtur in mera relatione causae ad effectum, saltem si causa solum specificative consideratur, i. e. non qua causans, quia relatio *supponit* iam actionem tanquam fundamentum reale et permanet actione praeterita.)

3. *Divisio:* *Actio* dividitur potissimum in actionem *transeuntem* et actionem *immanentem*. *Actio transiens* est ea, quae effectum producit in re a principio distinto, e. g. calor, motus. Eiusmodi *actio propria* est rebus materialibus, anorganicis. *Actio immanens* remanet in principio suo illudque ipsum effectu suo determinat seu perficit, sicut omnis actus vitalis in plantis, brutis, hominibus, et potest esse diversae speciei et perfectionis: actus vegetativus, sensitivus, intellectualis etc. (Potest addi actus *formaliter immanens et virtueliter transiens*, quia sua perfectione intrinseca simul effectum extra se producit, sicut actus voluntatis divinae creans res; actus voluntatis humanae membra corporis movens.)

B. Ubi.

1. *Notio:* Categoría „*ubi*“ potest considerari *effective, formaliter et relative*. *Effective* est ipsa causa, quae actione sua rem alicubi ponit, et sic „*ubi*“ non constituit categoriam, sed pertinet ad rationem qualitatis, i. e. actionis. *Formaliter* „*ubicatio*“ est rei ex se ad quemcunque locum indifferentis positio seu permanentia certo quodam loco, ita ut sit potius hic quam alibi, et sic *ubicatio* reducenda esse videtur ad qualitatem passionis.

Disputant, utrum haec *formalis* ubicatio fiat per modum realem superadditum, ut Suarez, Lessius, de Lugo, Vasquez, T. Pesch censem, an sola adsit distinctio rationis, ut alii cum Bellarmino, Rhodes, Haan, Schneid etc. statuunt.¹⁾

Relative vero categoria „ubi“ consistit in illis relationibus ad res alias in spatio positas (iuxta, supra, infra, procul, prope etc.), quae ubicationem formalem tanquam fundamentum sequuntur, et sic constituit propriam categoriam, quae tamen nullam rei superaddit realitatem et in extrinseca rei denominatione, i. e. in relatione locali (species relationis) consistit.

C. Situs.

In categoria situs potest considerari situs *internus* et *externus*. *Internus* est dispositio partium rei ipsius in se, e. g. membrorum corporis stantis, quiescentis, ambulantis etc., et sic reducitur situs ad formam, neque est propria categoria. Situs *externus* vocantur illae relationes ad res alias, quae ex situ corporis interno oriuntur; et hoc modo *nova categoria* oritur, quae tamen nil realitatis rei superaddit et in specie quadam relationis localis extrinseciae consistit.

D. Quando.

Categoria *quando*, sicut „ubi“, considerari potest: *effective*, *formaliter* et *relative*. *Effective* est causa, quae rem certo tempore producit, et pertinet ad categoriam actionis; *formaliter* „*quandocatio*“ consistit in existentia rei certo quodam tempore, et sic potius ad passionem reducitur; *relative vero* designat relationes illas extrinsecas, quas res tempore certo existens ad res alias habet ratione existentiae, prioritatis etc., et sic *constituit novam categoriam*, quae consistit in specie quadam relationis temporalis. — Plura de ratione ubi et quando in quaestione de spatio et tempore infra dicentur.

E. Habitus.

Habitus similiter, si ratio *effectiva* quaeritur, consistit in actione, qua homines se vel alias res ornatu quodam externo, non natura-liter indito induunt (e. g. vestibus, armis, instrumentis etc.); si ratio *formalis* consideratur, est species passionis, i. e. esse indutum habitu aliquo; si *relative* spectatur, est relatio indumenti ad rem indutam, et sic est propria categoria, quae consistit in specie quadam relationis praedicamentalis.

¹⁾ Cfr. Haan, Cosmol. 1894, p. 33; Schneid, Die philos. Lehre von Zeit und Raum, 1886, p. 94 sq.

Caput III: De causis.

§ 1. De causa efficiente.

1. *Notio causae in genere*: Conceptus causae sicut substantiae est in philosophia maximi momenti et omnino fundamentalis. Causa enim est principium actionum, quibus plurimae constituuntur relationes, neque res possunt finem sibi connaturalem attingere nisi per suas actiones. Quare iam initio vitae intellectualis formatur conceptus causae *primitivus* ope experientiae tum externae, tum internae, omnibusque hominibus et eruditis et rudibus, quid significet, notum est. Conceptus igitur primitivus causae significat illud, quod aliud aliud producit. Iam vero hic conceptus imperfectus reflexione scientifica perficiendus est, primum eo quod notio causae a notione conditionis et occasionis distinguitur, quae in activitate aliquo modo concurrunt; secundo successio temporalis et localis, quae est in genere signum aliquod externum causalitatis, distinguenda est ab eius ratione formalis, quae est in influxu quodam positivo interno, sensibus impervio; tertio in effectu ipso producto distinguendum est illud, quod causa per se vel directe produxit, et quod solum per accidens effectum est. Hoc modo conceptus causae perficitur et diversae species causarum distinguuntur.

Causa igitur in genere definitur *principium influxu suo aliud ex se insufficiens ad esse determinans*. Causa igitur continetur sub genere principii, quod primum aliquod significat, ad quod aliud quocumque modo sequitur¹⁾, ac proinde causa ratione effectus sui habet prioritatem vel *realem* vel saltem *rationis*; et si est prioritas realis, est vel *temporis* vel *naturae* vel saltem *originis*. (Causa vero addit ad rationem principii tanquam differentiam specificam *influxum positivum* in effectum constituendum, qui influxus iterum potest esse effectui *intrinsecus* vel *extrinsecus*. Nam effectus potest esse producendus in ordine essendi vel fiendi vel cognoscendi. Si producitur in ordine *essendi*, causa est rei intrinseca et vocatur vel *materialis* vel *formalis*, quae simul coniunctae essentiam rei constituunt. Si est in ordine *fiendi*, causa est rei efficienda extrinseca, et vocatur causa vel *efficiens* vel *finalis* vel *exemplaris*; si tandem agitur de ordine *cognoscendi*, causa vocatur *logica*, de qua in critica tractabatur. — Causae igitur singulæ nobis nunc investigandæ sunt, quarum *praecipua* et *prima* in *ordine physico* est *causa efficiens*.)

2. *Causa efficiens in specie*: *Causa efficiens est principium actione sua existentiam alicuius rei determinans*. Vocatur *principium*, ut distin-

¹⁾ Cfr. supra p. 392 sq. Aristoteles, metaph. V, c. 1—2.